



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Potamioena V. M. 28. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

410 VITÆ SANCTORUM. 28. *Iunii.*
obteneret, facere fortiter pro terrâ san-
ctâ constituit. In eâ proinde expeditio-
ne, cum Dux lectus esset omnium co-
piarum, ecce in ipso belli apparatu pul-
cherrimâ morte occubuit. Mortuus por-
rò, & curruï impositus, sine jumentorum
hominumque ope in Templum, quod ab
eo VIRGINI structum memoravimus,
non tam vehi, quam currere visus est.
Obstupuit ad miraculum orbis; at non
ego etiam: nam cur filium mirer ad Ma-
trem suam decurrere? *Ex Ant. Bonfin.*

*Omnis delectatio hujus mundi, universa
ejus gloria, quidquid denique in eo concu-
piscitur, prorsus modicum est, in illius bea-
titudinis comparatione; si tamen vel modi-
cum dici debet, & non potius nihilum, &
vapor ad modicum parens. S. Bern. serm.
de S. Clem.*

S. POTAMIOENA V. M. 28. *Iunii.*

FELICES nos bona si nostra, si quæstum
virtutis & certa pietatis vectigalia
noverimus: quantillo possumus ditescere!
POTAMIOENA Alexandrina virgo
formæ causâ cum multis conflictata pro-
cis, & in illo certamine superior, ex a-
moris palæstrâ in scenam crudelitatis
transiit, ut ad pud ris lilia constantiæ
laurum adjungeret. Aquila homo sangui-
narius carnificinæ præerat, cujus in Po-
TAMIOENAM omnem atrocitatem effu-
dit,

28. Junii. VITÆ SANCTORUM. 411
dit, certus fidem illi vel vitam eripere:
jactatam per omnia tormenta, denique
ad rogam cum Marcellâ matredamna-
vit. Virginis ducendæ cura Basilidi de-
mandata non omnino experti humanita-
tis, & mitiori ingenio, quàm pro tam
barbaris ministeriis. Is ergo insultantem
virgini multitudinem compescuit, ma-
gisque fidei custodis, quàm licitoris mu-
nus explevit. Hoc tantillum officium
ne suo auctori periret, curæ sibi fore,
moritura virgo promisit. Neque defuit
dicto fides. Triduo à morte exacto, ad
Basilidem revisit, eique coronam civi-
cam velut servatori suo imposuit. Ille ex
donativo benevolentiam Numinis æsti-
mans, statuit integrum stipendium me-
reri, & confestim auctoratus Christo,
fidem illi abscisso capite probavit. Ii,
dic magno constare cælum: quantulum
dedit Basilides, ut ex licitore Martyr fie-
ret? *Ex Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 4.*

*Sanctorum Martyrum esto discipulus:
Hi ardentem rogam virtute Dei & fide
vicerunt: vince igitur & tu ardentem con-
cupiscentiæ flammam. Cruciatum supera-
runt, spe, quæ est in Christo, subnixi; tu
quoque turpes passionem pudicitiam & cogi-
tationem pietatis superare contende. S. Ephr.
de Laudib. SS. MM,*

SS. PE-